



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

99. Feria 2. Septem concilia contra Christum habita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

164 FERIA 2. DOM. 4. QUADRAG.  
illud Caiphæ expedit, dicam contra illū aliter  
expedit Christi Matt. 5. *Expedit, tibi ut unum  
membrorum tuorum pereat, quam totum corpus  
mittatur in gehennam.*

MEDITATIO XCIX.

FERIA 2. DOM. 4. QUADRAG.

*Septem concilia contra Christum habitata.*

**A**spiciam duo concilia circa Christum Deum  
impiorum in terris, & in cælis Dei. Pe-  
tam utrumque agnoscere.

*Conf. 1. Media quibus usi sunt ad nocen-  
dum Christo, fuisse consultationes, quas se-  
ptem vicibus habuerunt. 1. Matt. 12. Con-  
cilium faciebant adversus eum, quomodo perde-  
rent eum, quod Sabbatis curaret, livore per-  
moti: Non enim culpa fuit vel hominem  
manum extendere, vel Christum sanare. 2.  
Matt. 21. Quod e templo eijceret, post di-  
lemma ijs propositum de Ioannis baptismo  
unde esset, & parabolam de vinea, rursus  
Pharisæi quærebant modum, quo possent eū  
tenere. 3. Matt. 22. Concilium inierunt ut  
ceperent eum in sermone multis modis. 4. Ioan.  
11. in Concilio apud Caipham proximè me-  
morato. 5. Matt. 26. Apud eundem, ubi  
Iudas intervenit acceptissimus, dum ait:  
*Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?*  
6. Matt. 14. Apud Annam & Caipham ve-  
spere*

*Feria 2. Dom. 4. Quadrag. 165*

spere capto jam IESV. 7. Apud eisdem mane, Marc. 15. Vnde D. IESVS traditus est gentibus ad mortem.

*Conf. 2.* Admirabile Dei consilium utentis tam scelerato malorum concilio, & efficientis, ut mors morte vinceretur, & diabolo caput quassaretur, inventori, & primo homicidæ. Quid enim magis mirabile, quàm quòd contrarium privativum agat, ut tenebræ sint causa lucis, cæcitas visus, mors vitæ, quemadmodum hoc Concilio secutum est. Hoc artificium solius DEI est crucifixi: Cruce, instrumento mortis, patibulo reorum, nido ignominie, arcâ maledictionis aditum fieri ad honorem, exaltationem, vitam gratiæ, & gloriæ. O igitur bona crux.

MEDITATIO C.

*Feria 3. Dom. 4. Quadrag.*

*Oblivio iudicij extremi dedit audaciam*

*Pontificibus sic iudicandi.*

**A**spiciam totius Magistratûs Hebræi confessum, & in medio D. IESVM vinctum. Petâ agnoscere processum iudicij iniquissimi.

*Conf. 1.* Interrogationem iudicis, quâ Christum volebat arguere ut seditiosum, & novarum rerum factorem, cui Christus respondit se palâm locutum mundo. Sed cur jam non loquitur? Discam, audire Dominû, quando